Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

non debeo. Tu itaque mi frater bone quod consulis me, et vis unum hominum
definiam. utrum animę cęterorum ex illo uno homine sic corpora per propa
ginem. an sine propagine sic illi uni a creatore singulis singulę fiant.
ab ipso enim fieri sive sic seu sic non negamus. Patere ut etiam ipse con
sulam. quomodo inde anima peccatum originale trahat. unde originale
ipsa non trahit. Omnes enim animas ex adam trahere originale peccatum
similiter non negamus. ne in pelagianam heresim detestabilem irruamus;
si hoc quod ego interrogo nec tu scis. sine me patienter utrumque nescire
et quod tu interrogas et quod ego. si autem iam scis quod interrogo. cum hoc etiam
me docueris. nunc et illud quod vis ut respondeam. nihil ibi iam metu
ens respondebo. Peto ergo ne succenseas. quia non potui confirmare quod
queris. sed potui demonstrare quid queras. Quod cum inveneris. confirma
re non dubites quod querebas. Et hoc quidem sanctitati tuę scribendum
existimavi. qui propaginem animarum iam quasi certus improbandam
putas. ceterum si illis qui hanc adserunt rescribendum fuisset. for
tassis ostenderem. quemadmodum id quod se nosse arbitrantur
ignorent. et ne hoc adserere auderent. quantum formidare de
berent. Sane in rescripto amici quod huic epistule inserui. ne te forte
moveat. quod duos libros ante missos commemoravit. quibus
respondere vacuum sibi tempus non fuisse respondit. Unus est
de hac questione non ambo. In alio autem illud ab illo consulendo
et percunctando quesivi. Quod vero admonet et hortatur:
ut magis demus operam ut perniciosissima heresis de ecclesiis
auferatur. illam ipsam pelagianam heresim dicit. quam cau
tissime ut devites quantum possum frater admoneo. cum
de animarum origine sive cogitas sive iam disputas ne tibi
subrepat. esse credendum ullam prorsus animam nisi unius
mediatoris. non ex adam trahere originale peccatum. gene
ratione devinctum. regeneratione solvendum. Explicit
epistola secunda ad optatum episcopum de natura et origine anime sancti
Augustini. Incipit epistola eiusdem sancti Augustini ad renatum de eadem.